8 2

✠

DEFINITIO FORENSIS:

An Testes solum ad ingenuitatis probationem sufficiant?

I SOLA *testatione prolatam, nec alijs legitimis adminiculis causam approbatam, nullius esse momenti certum est*, & Imperatorū Cari, Carini, ac Numeriani oraculo approbatum. (1) Verum absit ab iurisdicinæ nostræ sanctissimis Sacerdotibus, vt *testatio* hic pro *teste* forsan accipiatur, in quo Virum alias Excellentissimum pariter ac doctum (2) lapsum fuisse nihil vetat; sed vel pro Tabulis, absentium, & iniuratorum *testimonium* præferentium, sed eorum tantū sigillo obsignatis, vt apud Quintilianum (3) sub quo sensu, & *testimonium* etiam non nunquā dici solent, vt apud Ciceronem, (4) eoque pertinet Rescriptū Divi Hadriani. (5) Et apud nostros *Litteræ sigillatæ* dicuntur, vt in altero ex Foris (6) hinc obitèr in lustrando, in quo earum vsus ad debita probanda, *nisi fuerint publica instrumenta*, à Iacobo II. sublatus fuit. Vel cū quid accidebat extra iuditiū, cuius tamen in iuditio fidem fieri oporteret, vti *denunciationes*, quæ *testato* fiebant, & *testationes* etiā dicebantur, (6) itē & *interpellationes* licèt inter privatos, vt apprimè Idē Cicero, (7) eoque spectat Pauli Responsum (8) vbi *testatione* Lucius Titius probare volebat se iniuriam accepisse à Gayo Seio, & Modestini (9) vbi nolebat ipse eum audiri, qui adversus fidem *testationis* suæ vacillasset, quod idem est, ac si contra signum suum falsum *testificaret*; (10) vnde, & diferentiam hanc inter *testationem*, & *testimonium* sæpè legimus, apud Marcianum (11) & Vlpianū (12) I.Cōsultos: Apud nostros verò *testationes* eæ, *certificationes* vsitato nomine passìm audiunt, & à Tabellionibus quotidiè partibus traduntur, vt illis quid, & qua die, apud ipsorum Acta gestum fuerit, memoriæ sit. Vel tandem pro Testis *affirmatione*, aut *negatione*, mera, sive illius (vt nostris magis arrideat) sicca *depositione*, (13) vt apud Canonistas quoque accipi solet; (14) quæ cum *sola* est, i.e. nuda, & sine ratione aliqua sui dicti, parum, vel *nullius momēti* merito iudicatur. (15) Absit ergo, iterum inquam, vt lex ista accipiatur de *causa*, i.e. lite, *sola testatione prolata*, i.e. Testibus tantum suffulta, sive verificata, quod ab illius specie procul, ò procul est; sed vel de causa *testationibus* tantum roborata, si *testationem* hic primo modo accipiamūs; vel si secundo modo, de *causa*, i.e. causali, (vt magis dicam cum Philosophis) talis, aut talis facti, puta quare Petrus immunis sit à gabellis; quæ cū *sola*, i.e. nuda *testatione*, sive attestatione Testis tantum profertur, veluti si diceret, Scio Petrum immunem esse à gabellis, quia ingenuus est, *nec alijs legitimis adminiculis approbetur*, i.e. optimam esse causam, sive rationem illam, quare id ita procedat, ostendatur, (16) merito *nullius momenti est*. Vnde etiam legitima adminicula, quæ hic desiderantur, ad *causam*, sive causalem talis *testationis*, attestationisve optimam iudicandam, externa instrumenta, & alterius generis probationes esse ne dicatur, id enim quid aliud esset, quam affirmare, si hoc modo accipi deberent, nullam causam Testibus tantum sat comprobari posse, quod non minus ab iure divino (17) quam ab humano (18) abhorret; sed vali-

lidiſsimæ rationes ea ſunt, quibus Te-
ſtis dictam ſuam *teſtationem*, ſive atte-
ſtationem, fulcitur; veluti ſi in propo-
ſita ſuperius ſpecie, Scio Petrum im-
munem eſſe à gabellis, quia ingenuus
eſt, addat quomodo ingenui à talibus
contributionibus immunes ſint, & hoc
ipſe vel viderit, vel ſciat; quod ad hãc
eandem legem meliores quoque illius
Interpretes ſat innuunt. (19)

II. Cæterùm neque etiam obeſt,
dimidio, & amplius ſæculo, ante alla-
tam Imppp. legem, Alexandrum quo-
que Imp. Carpo in hæc potiſsimum
verba reſcripſiſſe. (20) *Si tibi contro-
verſia ingenuitatis fiat, defende cauſam
tuam inſtrumentis, & argumentis qui-
bus potes; ſoli enim teſtes ad ingenui-
tatis probationem non ſufficiunt*. Ag-
noſcimus enim, & probamus Imp. ſen-
tentiam, quæ plana apertaque eſt; nam
cum Carpo *inſtrumenta, & argumen-
ta* præſto fortè eſſent, quibus ſat poſ-
ſet *controverſiã ingenuitatis ſuæ de-
fendere*; & id facere forſan non aude-
ret, eo quod teſtium penuria labora-
ret; benè ac ſapienter illi ab Imp. con-
ſultum fuit, dum *poſſe* ipſum etiam *in-
ſtrumentis, & argumentis controver-
ſiam ingenuitatis ſuæ defẽdere*, & no-
tum fecit illi, ibi: *quibus potes*, & vt fa-
ceret monuit ibi: *defende*; nam vt Idem
Imp. ſubiungit: *Soli enim teſtes ad in-
genuitatis probationẽ non ſufficiunt*,
i. e. non ſolummodo Teſtes, (21) ſed
etiam *inſtrumenta, & argumenta*, qui-
bus quoque ingenuitatis cauſa probari
poteſt, (22) quod Expertus Notator ad
hanc eandem legẽ planè agnoſcit: (23)
Addit tamen (ſubiunget non nullus)
*porró videbatur dicendum Teſtibus
ingenuitatem probari non poſſe, nam
ingenuitas, vt naſcitur conſcribi ſo-
let*, (24) *videri exinde ad probationem
ingenuitatis ſcripturam præciſſe re-
quiri, quæ ab eius nativitate ſit exa-
cta*. Benè forſan vbi conſcribi ſoleat,
(25) verum vbi non ſolet? veluti in

Regno noſtro, in quo vſitatius id eſt,
ceſſat planè ea ratio dubitãdi ab C. V.
hic, ex Romano more, indicata. & nihil
obeſſe veræ ac legitimæ explicationi,
ſupra ab ipſo conductæ, neceſſe eſt.

III. Sed tandem iſta Nobis quid
Aragonicis viris, propriæque ſalutis
Auctoribus? quid, inquam, Nobis, cum
Romanorum iure, moribus, formulis, à
quibus Nos ſtrenua Gothorum Regum
arma iam pridem vendicarunt? Libeat
ergo propriùs, quid circa ingenuita-
tum probationem, annoſis patriæ le-
gibus cautum ad inveniatur inquirere,
& ex antiquo Fororum Iaccetanorum
Codice hic iam dare. (26) *Qui diz qui
es Infançon, & no es credut, donga
dos iuradors al poder del Rey, ô daquil
qui lo Rey mandará, & les iuradors
deben ſer Cavallers Infançons, qui ſien
ſes parents de part del Payre, aſsi com
deu dar Infançon qui vol probar ſa In-
fançonia; & ſi obs eſt qui aqueſt dos
iuradors puyeſſen moſtrar lo caſal don
es Infançon. Et ſi por aventura ſon
probats aquels iuradors, que falſamẽt
ayan iurat ſobre la Crot, & los Evan-
gelis, ſobre los quoales deben iurar,
ſian tot temps vilans peyters del Rey,
els, & tota lur genoilla, & genera-
cion; & aquil qui les dona per teſtimo-
nis ſia Infançon per tot temps*. Qui
Forus in Compilac. Regis Iacobi Ann.
1247. ita latine eſt redditus. (27) *Fa-
tigatus pro ſua Infançonia, habeat
duos milites ex parte Patris conſan-
guineos iuratores, qui tactis ſacro-
ſanctis Evangelijs aſſerant ipſum
Infantionem, & caſale oſtendant ſi ne-
ceſſe fuerit, a quo ſua proceſsit inge-
nuitas. Tamen ſalva Infantioniæ ſem-
per debet fieri in poſſe Domini Regis,
vel cuius ipſe mandaverit; & ſi proba-
tum fuerit, quod Milites iuratores
iuraverunt falſitatem, amittant ipſi,
& tota eorum generatio perpetuo li-
bertatem, & efficiantur villani* (28)
eorum, & is pro quo iuraverunt ad-

qui-

quirat perpetuo libertatem; Neque aliter eadem de re etiam cautum alio Foro (29) eiusdem Codicis, ibi: *Si algun Infançon Cavaler, ó altre home, demanda adalgun altre home, & diz qui es son vilan, & que lo deu servir en razon de vilan, puis nega que no es vilan, deu dar dos iuradors Infançons, que iures por él que no es vilan peyter, & abant es solt él, & tots aquils que deseyndrán dél per tots temps daquil qui lo demandava per vilan, & de ses antecessors*. Latinitati etiam ita donato in d. Compilac. dicti Iacobi Regis, ibi: (3) *Itẽ quicumque Miles, Infantio aut alius (31) dixerit contra alium hominem, quod suus Vassallus (32) est, & debet ei servire ratione de villano, & negaverit interrogatus, quod non est suus villanus, ad hoc probandum debet dare duos Infantiones qui iurent pro illo super librum, & Crucem, quod non est suus villanus, nec debet esse de illo, (33) qui eum demandat per villano; & sint ille, & descendentes ab illo liberi ab illo, qui quærebat eum per villanum, & de successoribus suis. Tamen (34) salvæ Infantioniæ semper debent fieri in Curia Domini Regis, vel in posse illius quem ipse mandaverit, & iuratores semper debent esse Infantiones*. Et in vltima Cõpilatione relati, (35) licèt & immutati quoque postmodũ alijs Foris (35) circa Iuratorum Equitum genus, pænã, non verò vsque ad moderniores Curias (36) inhibitum, quominus huiusmodi testium, sive salvantium genere, ingenuitas tantum probaretur; quinimò, & inter Observantias Regni planè scriptum (37) Vnum solum Militem nõ posse salvare pro Infantione, sed duos Milites posse; & novissimus Forus (38) etiam satis testatur id ita in vsu fuisse, vsque ad illius editionem, dum ait: *Y declarandose las Infançonias solamẽte con la prueba de testigos de oída, por la facilidad de este modo de probar, podian introducirse a Hidalgos muchos, que en la realidad no lo fuessen, &c.* Ergo nec dici potest ante illius editionem *De Foro* non sufficere hanc tantum Testium probationem ad ingenuitatem probandam, vel fortè gradus, medijs quibus à patre, avis, atavisve nobilibus quis descendat, sicuti etiã de iure esse, supra iã vidimus. Quod pro *Iosepho Bernal* Infantione, ac Regestrorum Regestrorum Maiore Scriptore meditabar. Cæsaraugustæ Februarij M.DC.LXXX.

Ioannes Ludovicus Lopez I.C.

(1) In *l.4. C.de Testibus.*

(2) Excell. Dom. Vicècancellarius Dom. D. Christoph. Crespi de Valdaura *obs.14 nu.68.*

(3) Quintilianus noster. *lib.1.instit.cap.7. Sepè inde collidi solent, inde TESTATIO, hinc TESTES; locus vtrimque: Hac enim se pars IVRE IVRANDO, illa CONSENSV SIGNANTIVM tuetur.*

(4) Cicero *Orac.5. in Verrem. Recita TESTIMONIVM Atheniensium. Quid ais? Dic, dic, quæso clarius, vt Populus Romanus de suis vectigalibus, de suis aratoribus, de suis socijs, atque amicis audiat.*

(5) Relatum in *l.3. ff. de Testibus.*

(6) For. Ann. 1311. *Tit. vt debitum non possit probari per literas sigillatas: nisi fuerint publica instrumenta.* In Noviss. Compilac. *lib.4. tit.18 fol. 98. col.4. in fine*, ibi: *Statuimus de consilio, & assensu totius Curiæ, quod si de cætero aliquis petierit aliquod debitum, vel commandam, vel ostenderit albaranum, diffinimẽtum, vel aliquam aliã obligationem cum LITERA aliqua SIGILLATA SIGILLO alicuius Baronis, vel alterius cuiuscumque, quæ ab ista die in antea fuerit facta, quæ non sit PVBLICVM INSTRVMENTVM: talis petitio non valeat: nec Iudex aliquis teneatur iudicare pro tali LITERA SIGILLATA: Exceptis testamentis, & codicillis, qui Testibus fuerint roborati secundum Forum, vt est fieri assuetum: Exceptis LITERIS Domini Regis, & Thesaurarij nostri, Magistri Rationalis, & Scriptoris Portionis: & Donationibus Prælatorum, & Religiosorũ: Et exceptis etiam Societatibus Mercatorum, quas ipsi consueverunt facere per LITERAS inter se: Alijs verò LITERIS CONFECTIS hactenus, non intendimus propter huiusmodi Forum dare authoritatem maiorem quàm habere debeant. Et si quis habuerit TALES LITERAS temporis præteriti, non possit petere aliquid de contentis in eis, nisi eas ostenderit, & petierit infra annum, à die præsenti in antea continuè numerandum*, cui illustrando adeunde Obs. *Item licet* 10. *de fide instrument. lib 2. tit. 12. fol. 11. col.3. in fine.* Et For. *vnic. de los Albalas de Mercaderes*, Ann. 1528. *eod. lib. 4. tit 53. fol. 112. col.2.* cum seq. *tit. de cedulis Mercatorum*, Ann. 1547. Vbi Ioan. de Bardax. in Comm. Et For. *tit. de las letras emanadas del Consistorio de los Diputados*, Ann. 1564. *fol. 213. col.4.* Et For. *tit.*

tit.de literis narrativis Iudicum. Ann.1585. *fol.* 220.*col.*2.Et For. *tit.de cedulis Mercatorũ*, eod. Ann. *fol.*221. *col.*2. Et For. *tit. de Albaranes de Mercaderes*,eod. Ann.*fol.*223.*col.*1.& ad hos tres supra proximos Foros, eorum Illustrater M.S. quẽ habeo. Et For. *tit. Que los Nobles, Cavalleros, ni Hiiosdalgo no puedan ser presos por Albaranes.* Ann.1646.*fol.*287. *col.*3. *in fine*, de quibus omnibus,& Nos quoque latè in *Not.&Comm.ad Arag. For.*

(6) *L.ita 5.§.vlt.ff. de administr. tut. l. non solum 8. §.1. ff.de nov.oper.nunciac.*

(7) Idem Cicero *pro Quintio. Tunc Navius ipse pueros circum amicos dimittit; ipse suos necessarios ab atrijs Licinijs, & à faucibus macelli corrogat, vt ad Tabulam Sestiam sibi adsint hora secunda postridie. Veniunt frequentes, TESTIFICATVR iste P.Quintium non stetisse, & se stitisse. TABVLÆ MAXIMÆ, SIGNIS HOMINVM NOBILIVM CONSIGNANTVR. Idem eadem ratione VIROS BONOS COMPLVRES ADVOCAT, TESTATVR isto audiente, se pro communi necessitudine id primum petere, nequid,&c.*

(8) In *l.Lucius 21.ff.de his qui not. in fam. Lucius Titius crimen intendit Gaio Seio, quasi iniuriam passus, atque in eam rem TESTATIONEM apud Prefectum Praterio recitavit: Prafectus fide non habita TESTATIONIS, nullam iniuriam Lucium Titium passum esse à Gaio Seio, pronunciavit. Quaro, an TESTES, quorum TESTIMONIVM reprobatũ est, quasi ex falso testimonio, inter infames habeantur? Paulus respondit, nihil proponi cur hi de quibus quaritur, infamium loco haberi debeant: cum non opportet,* (fortè *opporteat*) *ex sententia, sive iusta, sive iniusta pro alio habita, alium pragravari.*

(9) In *l.2. ff. de Testibus. In testimonijs autem dignitas, fides mores, gravitas examinanda est: & ideo Testes, qui adversus fidem suam* (fortè *sua*) *TESTATIONIS vacillant, audiendi non sunt.*

(10) *L.curent.22. ff. de Testibus, l.eos qui 27. §.1.ff ad l.Cornel.de falsis. l.3.C.eod.* iuncto Desiderio Herald.*lib.1.de auctorit.rei iudic.c.6.*

(11) In *l.1.ff.ad l.Cornel.de falsis*, ibi: *Pana legis Cornelia irrogatur ei, qui falsas TESTATIONES faciendas, TESTIMONIA ve falsa inspicienda dolo malo coierit.* Vbi non malè etiam legit idem Desider. Herald. *vbi sup. c.5. TESTAMENTA.*

(12) In *l.9. §. pana. ff. eod* ibi: *Si falsas TESTATIONES faciendas, TESTIMONIA ve falsa inspicienda dolo malo coierit.*

(13) Iuxta illud eiusdem Quintiliani *lib. 5. c.13. Siquid ab adversario TESTATIONIBVS comprehensum.*

(14) In Rubric.*de Testibus, & Attestationibus.* Vbi Dom. D. Em. Gonçalez Tellez, & ad *cap.11. in Notis eod.tit.*

(15) Debent enim Testes rationem sui dicti facere manifestam, vt in Auth. 10. *§. & licèt col.* *lac.7. & infra nu.19.*

(16) Approbare enim est, rem aliquam vt bonam proferre, iuxta illud Ciceronis 4. *Academ. Nec tamen ego is sum, qui nihil vnquam falsi APPROBEM.*

(17) Deuter.c.17. ibi: *In ore duorum vel triũ peribit qui interficietur. Et c.19.* ibi: *In ore duorum, vel trium stabit omne verbum*, repetitum *Math.16. Et Ioannis 8.v.8.* Et à D.Paulo *2.ad Corinth.13.v.2.* Et *ad Habreos c.18, v.2.* Et in *can.* *75. Apostolor.* Et in Synod.Trul.*can.85.*Et in *cap. admonere 33.q.2.* Et *cap.novit, de iudicijs.* Et *cap. cum esses de Testam.* Et à Gratiano *in Summa 2. q.4.* Ant. August. nostro *in epit.iur.lib.32. tit.3.* D.Thom. *2.2.q.70.art.2.*

(18) *L.vbi numerus 12. ff.de Testibus*, cui illustrandæ do Plautum *in Menec.actu.4.v.20.*ibi:

Nec magis ego manifesto teneri hominem huncquem vidi

Omnibus malefactis: Testes tres aderant acerrimi.

(19) Bartolus, Baldus, Castrensis,& cæteri apud Barbosam *in collect.ad hanc legem nu.4.* Dionis. Gotofred. *ibid.nu.15.* ibi: *Testis legitimis adminiculis causam non approbat, qui dicti sui causam non reddit; qua fit ita TESTATIO sola est, & nuda, i.e. qui ita testatur non probat*, de quo vide *Oldendorp.c.5.de testib. n.4. Vvurms.pract.obs.1.*

(20) In *l.2.C.de Testibus.*

(21) *L.10.13.& 17. ff.de probat.*

(22) *L.6.de fide instrum. l.16.de lib.causa.d.l.10. de probat.*

(23) Idem Dionis. Gothofred. *ad d.l.2.de testib.nu.11.*adde,& Donellum *ad hanc, eandem legem* vbi contrariam sentẽtiam *falsissimam* vocat.

(24) *L.2.de excusat.tut.l.3.de censibus.*

(25) Vt Romæ quondam factum, de quo plenè post Rebuf.*tom.2.ad Constit.Gall.Tract. de Registris Baptismi, Sepultura,&c.* & Gotofred.*in d.l.3.de censibus*, Brisonius *antiquit.lib.1.c.3.*

(26) *Lib.1.tit.14.De probar Infançonia.*

(27) *Lib.6.tit.2.de proclamantibus in servitutem For.1.* quem tamen cum tit. superiori *de condic. Infancionat.* editi Codices antiqui, & nobi malè confundunt, vt iam monui *in Dissertat. de emmendat.Foror. Arag.n.*

(28) *Et efficiantur villani.* Verba hæc desunt in editis vulgo Codicibus, sunt tamen in M.S. antiquis, cuius memor sum *in d.Dissertat.de emmendat.Foror.*& *in Notis,& Comm.ad hunc For.*

(29) *d.lib.1. tit. 19. De mostrar com no es vilan.*

(30) Foro *Item quicumqui* in M.S. antiquis. Cod. sub *tit.de pœnis, For.2.* vt in meo, vel *tit. anteced.de Receptatoribus, lib.8.* sed perperam, collocatus erat, vt notavit iam Bages *ad obs.Item adveratio, de salva infanc.fac. d.lib.8.* in editis verò melius sub eodem *tit.de condict. Infansionat.* legitur *d.lib.6.For.8.*

(31) In M.S.Cod. *Miles vel alius Infantio*, sed edita lectio, Cod. Iaccetano magis quadrat, vt monui iam quoque *in d.Dissertat.de emendat.Foror. Arag.& in Notis,& Comm.ad hunc For.*

(32) *Vassallus.* In editis Cod. *Villanas*, sed non rectius, vt iam monui *vbi sup.*

(33) *Nec debet esse de illo.* Verba hæc desiderantur in editis Cod. sed sunt in M. S. antiquis, vt etiam *vbi sup.* iam monui.

(34) *Tamen.* Hoc verbum etiam abest in edit. Cod. vt monui, *vbi sup.*

(35) *Lib.7.tit.2.For.4.& 5.*

(36) Foro *Item quod de cæteris tit Quomodo quis debeat &c.* Ann.1265. Et For.*2.3.4.& 5.eod.tit.* Ann.1300. Et For. *de los processos de Infançonias*, Ann.1585. vbi nos quoque latè.

(37) In Curijs superior. Ann. 1678. *Tit. De las Infançonias, y del modo de probarlas.*

(38) Obs. *Item vnus tit. de condic. Infancionat. &c.lib.6.*

(39) D.For.*vnic.Tit.de las Infançonias, y del modo de probarlas*, superioris Ann.1678.